



THEOREMATA

EX ABDITISSIMIS,

Ac Subtilissimis Penetralibus Philosophiæ selecta,

ET PVBLICAE DISPVTATIONI Exposita.

A MARCO ANTONIO DE MARESCOTTIS,
Ex Dominis Montis Albani,
Achademico Inter Intronatos Subtili.



SENIS, Apud Bonettos, Typis Publicis, M.DC.XLVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

SANCTISSIMO PATRI

INNOCENTIO X.

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO.

MARCVS ANTONIVS DE MARESCOTTIS
Achademicus Inter Intronatos
Subtilis. Faustitatem.
D. D. D.

DVCIBVS Romanorum Priscis, Suorum, Primas laborum, fruges, Colenti animo, Principalioribus omnium Sacerdotibus, exibentibus; ad Tuos ego humillime Pedes prouolutus, B. P. hunc mea Philosophia mitto Libellum, non Cedro, nec Minio notatum, sed in Candidis paginis, in nigra fronte mea candorem obseruantiæ, humilitatis argumentum mea præseferentem: Vouens in eo mearum Primitias elucubrationum, acerbas quidem tempore, sed deuotione maturas, Tibi Principalissimo, Sacerdotalis Religionis Sacerdoti tamquam lilio Eminentissimo florum: non degenerans

†† 3 *à Primo*

à Primo Tui Pontificij Cubiculi Præfecto, mihique Amitino, qui pariter Tibi Primam Suæ Iuuentutis Ætatem litauit: At ne dedigneris si laudibus libello (vt vulgaris moris est) aditum non præparem, quibus tranquillum teneat Tui Portum animi beneuoli, tum quia, prout es in hac Christiani Orbis Cosmographia Vnicus, ac Singularis, vltra terminos sunt tenuitatis Ingenioli mei tuarum laudum exordia, nedum confinia; Tum quia aptius mihi est hoc, Patrare Ritu Gentilium Deos silentio Commendantium non verbis, Collocantium ante falsa illorum Templa Arpocratem clausis digito labijs; noscendo forsan hominis non esse Deos collaudare. & in hoc Profecto non male prouidos fateor, si veros Deos coluissent; Deceat Te igitur S. P. qui Diuinitatem Sapis verìori consilio, silentio Collaudari, at non Signis omnino Silentibus, quia Deus omnino non es: sed semisilentibus, quia Semideus es, gerens in Terris vicem Dei, nempe non simulacro Arpocratis, vt apud Gentiles, sed sequentibus Iconibus, Tui non minus præclarissimi Gentilitij, quam laudabilis animi Tui Præstantiæ Signis, & Insignijs. Diù Tibi, Nobis, Orbi regna feliciter.

ICONES
SVPRA ENVNCIATAE
SVBTILIS INTRONATI,

In Laudem


SANCTISSIMI PATRIS

INNOCENTII DECIMI

PONTIFICIS OPT. MAX.

QVAE primas imitata niues albescere cernis,
Docta, culta manu, lilia cana rubent; — Mattiol. lib. 3. c. 110.

Candida sic morum probitas immensa Tuorum
Albet, mox sacro murice tinta rubet.


RITE
CVLTVM
RVBESCIT

† † †

Cultor Oliuarum frondosum abscindere Ramum
Assolet vt crescens vberiora ferat,
Abscidit Omnipotens grandi Te stipite Magnos,
Vt fructus referens maior in Orbe fores.

Petrus de Victorijs de cultu. oliuarum.

Psal. 51.


SEGREGATVR AD VBERIORA

Læta Columbæ Suos per compita voluit ocellos,
Vno Terram, alio prospicit illa Polum; } Esa.c.38.

Sic Pastor tota vigiles vt mente tonanti,
Commisoque Gregi lumen vtrumque moues. } Matth.c.16.


OCVLO VNO
TERRAM SVSPICIT
ALTERO CELVM

Alta super Flores *extollunt lilia frontes*;
Sortis quæ Indicium Regibus esse solent,
Quos Tua Supremos protendunt lilia bonores
In Cælo, in Terris Maximus *Ecce tenes.*


Pierius
Marciol.
Plinius.


EMINENTI
SSIMVM
FLORVM

Nutrit creſcentes allato ſemine pullos,
Ac tegit alato pulchra Columba ſinu,
Haud aliter nobis Præſul ter Maxime *præſtas*
Vbere quos paſcis pectore quoſque foues.


} Experien & Matth. c. 23.

} Ioan.c.21.


NVTRIT AC TEGIT

Lilia dumosis nascuntur vallibus aurea,
Quæ Spinas *inter noste, dieque* vigent. } Cant. c. 2.

Simbola sunt Christi, Teque, O Sanctissime *digna* } Ibidem.
Qui Terris Christi munera, vota refers. } Matth. c. 16.


ET INTER SPINAS VIGET

Pascitur electas vagha lilia *, & inter* Oliuas,

Gratum degustans blanda Columba cibum,

Assumit similes Te dante Ecclesia Pastus.

Flores, atque Oleas dum sapit illa Tuas.

Cant. c. 2. 4. 6. Gen. c. 8.

Ioan. c. 21


INTER
OLIVAS
PASCITVR
ET INTER
LILIA

Quas Oleaster habet Nutrit radice nouellas,
Atque animat Patrius germina nata vigor. } Experien. & Ps. 127.

Tu quoque magna Tuis partiris dona Dynastis,
Qui Sacros lambunt poplite, & ore pedes. } Ibidem.


ET
NOVELLAS
NVTRIT

Albida si crescant florenti lilia in orto,
Quillibet extemplo pessimus anguis abit; } Experien.

Sic Tua dumtaxat Maiestas *dissipat hostes,*
Nostraque Relligio Te Duce gliscit ouans. } Matth. c. 16.


SOLA
PRAESE NTIA
FVGANTVR

Florida consurgunt spaciosis lilia campis,
Quæ Deus attollit, protegit, ornat alit; } Matth. c.6 Luc. c.12.

Talem Te nostro valuit concedere florem
Orbi Diuini Numinis alta manus, } Act. 1.


DIVINITUS CREVIT ET DIVINITUS CONSERVABITUR

DE SCIENTIA IN VNIVERSVM.

1 DATVR scientia, quæ sic describitur cognitio rei certa, & euidens per causam per quam res est & non contiguit aliter se habere, & datur logica artificialis instrumentũ scintiæ, quæ est vnus habitus totalis, immo secundum aliquam considerabilitatem alia est docens, alia vtens, quas duas partes nolumus esse duplicẽ logicam, sed vnam, & eandem, quæ dici potest vna vnitate ordinis, non vnitate physicæ compositionis; hanc volumus repositam inter habitus intellectuales, & esse virtutem tam secundum rationem sophysticam, quam topicam & demostratiuam, insuper esse necessariam ad singulas scientias in particulari acquirendas secundum quid; ad scientias vero totales de facto perfecte acquirendas simpliciter. Pro obiecto logicæ materiale bene assignantur operationes intellectuales, & pro formale rectitudo; pro adequato vero erunt operationes recte, seu rectificabiles.

2 Datur de nouo scientia actualis, quæ non est pura reminiscientia distinguitur sciẽtia ab opinione, fide, suspicione, ita vt probabilius loquendo naturaliter sit verum, nullũ actum vere opinatiuum posse simul stare cum actu scientifico, in eodem intellectu de eodem obiecto, pro eodem instanti temporis.

3 Datur scientia habitualis, seu habitus naturales aquisiti, qui non respectu obiecti distinguitur, sed principaliter respectu diuersi modi tendendi, diuiditur in partialem, & totalem, praticam, & speculatiuã subalternantem, & subalternatam hi habitꝰ habent pro fine facilitatem, quæ non est quid superadditum dictis, sed extrinseca denominatio: procedunt efficienter instrumentaliter ab actibus productis, principaliter a potentia, qui habitus effectiue quoque inadequate concurrunt ad productionem aliorum actuũ, a quibus non sint producti; intenduntur habitus tam ab actibus magis minus intensis, a quibus generetur. Destructio habituum ha

betur formaliter per habitum contrarium, effectiue ab actibus oppositis, occasionaliter per cessationem actuũ illi habitui debitorum. Demum habitus subiectantur in his solum potentijs, nimirum in intellectu, voluntate, & memoria intellectiua.

DE SCIENTIA NATVRALI, EIVSQVE PRINCIPIIS.

4 PHysica quæ & naturalis disciplina dicitur, verissima est scientia, & inter scientias speculatiuas reponitur; hæc cum versetur circa sensibilia, habet pro obiecto omnia hec naturalia; quod propterea si debet scientifico modo assignari sub hoc conceptu melius datur, scilicet corpus naturale pro vt naturale; diuisum tamen est in habitus partiales diuersos constantes vnũ totalem: procedit circa suum obiectum per cognitiones, vt plurimum originatas a sensibus, in quo casu prius ipsi obijciuntur speculandi gradus magis vniuersales, postea minus vniuersales, sed semper singularizzati, eo quod sint notiores, nobis non natura, licet idem possit esse notius nobis & natura secundum aliquam acceptionem.

5 Principium communissime acceptum describitur hoc pacto; Primum vnde aliquod est, aut fit, aut cognoscitur, in particulari vero pro vt ad physicum attinet, sic; principia sunt quæ neque fiunt ex aljis, neque alterutris, & ex his omnia, in qua descriptione particula, ex semper eodem modo sumenda est, vt significet in eo genere in quo sunt principia, & si formaliter accipiatur descriptio in ordine ad terminũ, Sunt analoga attributionis, in ordine ad se, ipsa inuicem comparata erunt analoga proportionis: materialiter demum accepta, AEquiuoca Accipimus hic cum Aristotile hæc principia tanquam communia corpori generabili, & corruptibili, & directe tanquam principia cognosciabilitatis, indirecte comunitatis; Sunt tria in fieri & Contraria, scilicet

licet

licet materia forma, & priuatio, in facto esse duo, scilicet materia, & forma.

6 Materia quæ vere dari demostratur (cum principia incompleta essendi possint probari in scientijs si alioquin non sint probata a scientia subalternante) describitur, sic primum subiectum vnius cuiusque, ex quo fit aliquid, cum insit primo & per se, & non secundum accidens, & si corrumpitur aliquid in hoc abibit vltimo; habet propriam existentiam distinctam ab existentia formarum, sed incompletam, est ingenerabilis absolute & incorruptibilis, immo a nullo agente naturali potest omni forma substantiali spoliari; a Deo potest, sed sic spoliata, vt existeret indigeret peculiari concursu nouo. Respicit vt terminum primarium rationem genericam formæ: secundario rationem indiuidualem. Materia non habet ex se formam corporeitatis substantialem distinctã, a formis cum quibus facit compositum, & a quantitate, non est multiplex specie, neq; numero, eiusq; potentia remota non distinguitur ab eius essentia, qua in variata respicit, & recipit tam formas substantiales, quam accidentales; illas vt terminum primarium, has vt secundarium, Si comparentur ad inuicem hi duo termini. Quando materia est actu sub formis, vel naturaliter, vel supernaturaliter habitis dicitur exercere complacentiam circa illas, sicut circa absentes quomodocumque aquisibiles, habet appetitum eundemq; circa Corruptas.

7 Forma alterum principiũ, in duplici Classe reponitur, & aliæ substantiales aliæ accidentales dantur; Primæ sic describuntur. Ratio ipsius quodquid erat esse rei; nolumus tamẽ substantialem esse totam quidditatem seu essentiam compositi substantialis, sed principalem. Substantiales materiales, educuntur de potentia materiæ, non vero spirituales, quæ eductio saluatur absque eo quod præexisterint in ipsa materia vel secundum se totas vel secundum sui partem, omnes habent propriam existentiam incompletam, qua faciunt vnũm actu per se cum materia mediante vnione, quæ dup-

plex est in quolibet composito, & est modus substantialis diuisibilis materialis in toto materiali, spiritualis in composito ex parte spirituali. forma etiam materialis est nobilior materia, non tamen composito hæc ab agente naturali separata non poté sic existere, potest per diuinam potentiam si præbeat illi specialem concursum, sicut nec potest vna informare plures materias loco distinctas.

8 Priuatio vltimum principium requiritur solum in fieri, & est ens reale licet non positiuum, & describitur. Negatio formæ in subiecto apto; distinguitur a duobus alijs principijs. principiat res successiuas, & permanentes quando primo non est, & immediate præsuponitur antea fuisse, multiplicantur priuationes in quolibet subiecto, itaut in vnoquoque tot sint, quot ibidem non dantur actu formæ, quarum capax materia neque omnis priuatio est principium, sed sola illa quę est opposita formę adueniendi in fieri.

DE NATVRA ET ARTE.

9 Naturam dari adeo euidens est vt non solum non indigeat probatione, sed neq; possit per verã demostrationem ostendi dari, communiter tamen sic describitur. Natura est principium, & causa mouendi, & quiescendi in eo in quo est primum per se, & nõ secundum accidens, ad rationem naturæ absolute sumpte non requiritur necessario ratio principij actiui, vt sunt formæ; nam materia quæ est principium passiuum, non debet excludi a ratione naturæ, licet actu solum quando est cum forma sit natura, sicut excluditur forma accidentalis, & priuatio nisi accipiamus nomen naturæ lato modo.

10 Ars quæ emula naturę dicitur, ab ipsa distinguitur & consistit in preceptis per quę non potest (sicuti neq: per formas artificiales quomodocumque accipiantur) conficere verũ aurum & reale opus naturę; ad summũ potest prestare aliquid applicando actiua passiuis, intelligendo semper de naturalibus, & in particulari licet non negetur esse possibile

bile factu verum aurum, si tamen fieret per applicationem passiuis modo dicto. Probabilius tamen de facto videtur esse tenendum, neque hoc modo posse fieri.

DE CAVSIS IN COMVNI, ET IN PARTICVLARI.

11 Causa ex Aristotile ruditer sic definitur. Id per quod interroganti respondemus, propter quod res est; Alibi melius: Principium aquo aliquid perse pendet, & in cuius virtute continetur, quæ descriptio vt Clarior euadat supplenda est his verbis cum aliquo in fluxu, Hic Conceptus causæ absolute spectatus non est relatiuus respectu omnium causarum quas amplectitur etiam naturaliem. He porro ad quatuor principalia genera reducuntur V. G. ad materialem formalem efficientem, & finalem, quæ diuisio non est adeo rigorosa, quin possit eadem respectu diuersorũ habere rationem multiplicis causæ; immo eadem causa potest causare contraria positiuè excepta formali. Conditiones a Causis distinguntur quia sunt applicatiue alienarum virtutum ad Contrariorum effectus quod non competit causę.

12 Causa materialis dicitur; id ex quo fit aliquid cum insit, cuius virtus causatiua in actu primo est pilssima entitas causæ; in actu secundo in fieri, tam respectu forme quam respectu compositi est actio agentis, in facto esse vnio. Omnia hæc complent adequatam causalitatem causæ materialis, quæ causalitas potest inadequate suppleri a Deo in genere causæ efficientis, non autem adequate pro vt importat entitatem materialem; nam potest solum pro vt importat actionem, & vnionem. Materia ergo causat omnes formas materiales, quę propterea ex ipsius potentia educi dicuntur.

13 Formæ autem omnes sunt verissime causæ, nec habent vt causæ sunt diuersam descriptionem, a superiori illa assignata. Causalitas harum quoque in actu primo non distinguitur ab entitate ipsarum.

ipsarum; in actu vero secundo in facto esse (in quo solo causant præstant hoc per vnionem intrinsecè receptam substantialem (loquor enim de causa formali substantiali) quæ posita causat totum, quod non est quid distinctum realiter a partibus simul sumptis, sed formaliter. Causalitas formæ informatio dicitur, sicut materię receptio circa spirituales, circa materiales substentatio.

14 Dantur verè causæ efficientes quæ vniuersaliter describuntur id vnde principium motus, primum & quietis. Causalitas causarum efficientium creatarum in actu primo identificatur cum entitate earum, in actu secundo est actio, quæ realiter non distinguitur a passione, & subiectatur in passo, ad hoc genus causæ reducuntur instrumenta & idea, quæ pro vt reducitur ad causas, & quatenus abstrahit ab idea interna, & externa describitur sic; Forma, quam effectus immitatur, ex intensione agentis determinantis sibi finem, & magis principaliter constituitur in cōceptu obiectiuo, quam in formali, licet etiam hunc importet.

15 Causa finalis quæ pariter realis est describitur sic. id cuius gratia aliquid fit aut est; causalitas huius in actu primo est bonitas realis, cognita, & cognitio se habet vt conditio applicans: potest etiam mouere bonitas falso applicata, non ficta, quia non datur. Causalitas in actu secundo consistit in allicientia motiua metaforice, quæ potest explicari nil esse aliud quam executio mediorum pro vt dicunt ordinem dependentiæ ab entitate causæ finalis.

16 Effectus finis sunt in rigore omnes, & soli actus eliciti vel imperati, tam voluntatis quam alterius cuisque potentię, qui actus habent rationem medij. Agentia omnia tam intellectualia, quam non intellectualia agunt propter finem, in quem feruntur vel media cognitione, vel instintu naturali, qui instintus est operatio fantasię, qua appetitus brutorum determinatur ad prosecutionem vel fugam obiecti, licet non cognoscant formalem rationem bonitatis; sufficit enim si dicatur cognosci ab auctore naturæ donante instintum. finis tam cui, quam cuius gratia sicut, & intermedij habent veram rationem causę finalis.

17 Omnes effectus qui a causis procedunt ita ab illis dependent, vt

non-

non, valeat idem numero habere dependentiam naturaliter a duabus causis totalibus in eodem genere, & ordine eodemque tempore simul concurrentibus: non omnes causę debent esse necessario priores suo effectu, quem producunt. hoc solum habent natura; hi porro effectus nunquam nobiliores sunt omnibus causis simul sumptis, immò neq: qualibet causa in particulari accepta; si consideremus effectum pro ut effectus est reduplicatiue: potest esse vero nobilior si specificatiue sumatur; si comparetur effectus cum causa finali intrinseca non est perfectior neque imperfectior ipsa idem debet dici si fiat comparatio cum causa materiali & formali simul.

18 Inter causam finalem & reliquas tres causas dari potest mutua causalitas sicut inter materiam, & formam, inter formam vero, & causam efficientem non datur; in eodē genere naturaliter non apparet dari mutuam causalitatem, supernaturaliter autem quantum est ex parte prioritatis & posterioritatis probabilius videtur concedi posse.

19 Præter has omnes causas per se dantur causę quæ per accidens appellantur ad duo genera reductæ: scilicet ad fortunam & casum: fortuna sic describitur. causa per accidens in ijs, quę agunt sine electione, sed preter intensionem; Casus vero causa per accidens in ijs quæ agunt sine electione mediorum, ad hunc non reducuntur effectus qui fiunt ex putri, sicuti neque sunt effectus casuales qui ex cœli actione pro actione procedunt hæ causę omnes melius ad genus causę efficientis reducuntur. Monstra quæ a Philosophis dicuntur naturales effectus, a recta, & propria secundum speciem dispositione degenerantes, non sunt effectus casuales.

20 Fatum quatenus intelligitur nullā dicere necessitatem datur, & ad causam efficientem reduci potest in hoc sensu acceptum describitur a Boetio, Inherens rebus mobilibus immobilis dispositio, per quam diuina prouidentia suis, quæque nectit ordinibus.

DE

DE PROPRIETATIBVS CORPORIS NATVRALIS.

21 MOtus qui inter pasiones corporis naturalis primo enumeratur. ab Aristotole, dicitur actus entis in potentia pro vt in potentia, cuius essentia formaliter consistit in aquisitione, seu tendentia ad formam perfectam: excluduntur ab hac descriptione. si in rigore loquamur, mutationes instantaneæ cum successio pertineat ad essentiam motus sic descripti. Entitatiue motus est distinctus realiter a termino & a mobili, seu subiecto formaliter solum ab actione & pasione, pro motu proiectorum non est necesse multiplicare qualitatem superadditam, sufficit enim rarefactio, & condensatio medij puta aeris; hæc porro quando mouentur in puncto reflexionis naturaliter aliquantulum (per se loquendo) quiescere debent. Motus naturalis est in fine velocior ratione medij, qui sicut & quilibet alius non est duplex, licet habeant duplicẽ terminũ, saltẽ a quo, & ad quem, qui non debent necessario semper in omni motu esse positiui & separati: contrarietas motus positiui, & vnitas habetur a termino ad quem priuatiua contrarietas a termino a quo.

22 Locus extrinsecus describitur; bene sic superficies corporis continentis immobilis prima, est quid positiuum, & distinguitur a situ qui est dispositio partium in ordine ad locum in quo vt corpora sint indigent aliquo modo super addito, qui appellatur vbi, & diuiditur influens, & permanens, & vnicum sufficit, ad hoc vt vbicentur omnia quæ in composito sunt subiectata in eodem loco non possunt esse plura corpora, neque vnum corpus in pluribus locis nisi super naturaliter, & hoc loquendo tam circumscriptiue quem definitiue, hæc vbi habent pro causa efficiente corpora quæ mouentur, & vltra hec vbi fluens habet pro determinatiuo motum; & permanens habet vel actionem, qua producitur in tali loco, vel motum antecedentem ad quietem in tali loco. Corpora ita sunt in loco vt neque super naturaliter posint esse nullibi, loquendo de nullibi rigoroso, sicuti neque

in.

in spatijs imaginarijs, quæ non sunt quid reale; Loci conditiones sunt continere locatum esse equalem locato, ab eoque separabilitatem habere.

23 Vacuum intelligitur esse locum carens corpore, non potest naturaliter fieri potest super naturaliter, si autem daretur, ibi naturaliter non posset fieri motus proiectorum, possent tamen fieri motus grauium, & leuium, qui neque propterea essent facti instanti, sed in tempore successiuo. Demum motus progressiuus probabilius dicitur posse haberi ibi, si non datur adherescentia impediens, & non indigeat animal medio ad respirandum.

24 Tempus quod diuiditur in extrinsecum & intrinsecum vtrumque reale describitur sic numerus motus secundum prius & posterius, distinguitur etiam loquendo de intrinseco a motu, & est modus permanens super additus rebus permanentibus, nam successiua per se ipsa durant, & non mensurantur ab alio motu qui gerat vicem temporis, & prout talis distinguitur ab alio motu successiuo, quæ mensuret. Vltra hanc durationem datur eternitas, quæ a Boetio bene descripta est interminabilis vite tota simul & perfecta possessio secundo datur Euũ quod dicitur duratio rerũ permanentiũ incorruptibiliũ, immurabilis tota simul, in composito habente plura durantia durant per diuersum modũ, excepts his, quæ cũ duratione habẽt essentialem nexũ. A tẽpore extrinsece omnia mensurantur, & uccesiua quidem per se, permanentia per accidens instantbus non componitur tempus, immo hec in ipso solũ dantur per assignationem extrinsecam.

25 Quantitas alia est permanens alia successiua. Permanes quæ est accidens a substantiis realiter distintum, sufficit vna totalis pro quolibet composito, describatur in concreto. Quantum est diuisibile in ea quæ insunt, quorum vtrumque, vel vnum quodque, vnum quid & hoc aliquid aptum est esse, habet pro sua essentia extensionem partium in ordine ad se, quæ se vna cum alijs materialibus extendit in ordine ad locum. Et licet in quantitate continua nõ dentur actu Partes distintas ante assignationẽ non tamen per hoc negamus in alijs rebus partes entitatiuas in dependenter ab assignatione. Indiuisibilia vel copulatiua dicantur,

cantur,vel terminatiua,vel componentia non dãtur,sed bene per negatiua res terminãtur; .s. per negationẽ vlterioris extensionis. Indiuisibilia si darentur se sola non mouerentur, sed cum toto possent habere hanc passionẽ corporis naturalis,passiones quantitatis sunt finitas,indiuisibilitas in partes proportionales in infinitũ, pariens impenetrabilitatem radicaliter,nam actualis impenetratio habetur quoq; ab vbi circumscriptiuo; quando autem supernaturaliter datur penetrabilitas habentur sufficienter per potentiam motiuam, pro vt obedientialiter subijcitur diuino concursui, absq; alio super addito.

26 Infinitum aliud dicitur chategorematicum seu actu; aliud sin categorematicum seu inpotentia, describitur vniuersaliter esse id ex quo aliquid semper est extra accipere. Categorematicum neque datur de facto, neque dari potest in quantitate, intensione, numero, & perfectione,loquendo decreatis,ac propterea neque dari potest creatura adeo perfecta, quin semper perfectior produci possint, & eo quod Deus cognoscat omnia possibilia, non propterea debet dici esse obiectiue in mente Dei infinitum chategorematicum: huius passiones solent assignari sic, infinitum non reddi posse finitum per detractiones, debere habere partes equales infinities, non posse claudi terminis, neque pati posse additionem, qua ratione infinitum est.

DE MVNDO ET COELO.

27 Mundus pro vt de facto est non est nisi vnus in suo genere, & perfectus, neque repugnat à Deo plures alios eosq; perfectiores produci; de hoc constat fuisse creatum nõ ab eterno, sed in tempore, immo probabilius est non potuisse creari sic ab eterno, vel sit sermo de entibus permanentibus vel successiuis.

28 Cęlum est probabilius substantia simplex,inanimata, in Corruptibilis non constans ex materia & forma: habens figuram Sphericam, sicut & reliqua sidera probabile est esse substantiæ solide, ita tamen vt non careat probabilitate esse susistantia fluide, immo si ita ponatur saluantur fænomena absque multiplicatione epici-

epicic orum, & excentricorum. certum est esse distinctū ab elementis, & moueri orbes, excepto empireo, ab intelligentia, quæ residet in aliqua parte determinata cæli a se moti. Tot sunt diuersæ intelligentiæ quot sunt diuersi motus etiā in vno & eodem Cœlo. Mouetur ab intelligentia per naturalē virtutem motricem vltra motum raptus quo mouetur a Supremo mobili. Demum Cœli per motū tanquam per applicatiuum virtutis concurrunt ad actiones rerum inferiorum; ita tamen vt non sint necessarij ipsorū motus ad omnem actū qui fiat in Sublunaribus.

29 Omnes Cæli & sidera, vltra suam natiuam aliquam lucem, habent lucem acceptā à Sole: quæ luces sunt eiusdem rationis cum luce sublunari; Omnes pariter includendo empireum agunt in hæc inferiora, non tamen directe in potentias spirituales, in voluntate autem nullo modo cogendo ipsam agunt; porrò per calorem & lucem, & alias occultas influentias; negamus Cælos esse capaces veræ alterationis, vti est coruptiua, concedimus posse perfici, quidquid sit an hæc sit alteratio. accidentia reliqua quæ in Cœlo reperiuntur vti sunt Quantitas, Raritas, Densitas, sunt eiusdem rationis cum nostris inferioribus.

DE GENERATIONE ET CORRVPTIONE.

30 Dari generationem substantialem nemini est dubium; est quæ optime definitur ab Aristotile sic, est Mutatio totius in totum nullo sensibili remanente vt subiecto eodem; Et hec si naturæ viribus sit facta, non distinguitur à conuersione per transitum vnius rei in aliam definita; in hac non datur resolutio Vsq; ad materiam primam. Coruptio è contra describitur sic; est mutatio totius in totū sub eadem comuni materia; quæ Corruptio dicitur naturalis, tam respectu formæ, quam Compositi, accepto, Naturalis nomine, pro vt distinguitur a supernaturali; si vero intelligitur pro vt est quid perfectum in natura, erit solum naturalis respectu materiæ, non vero respectu sui & compositi; tertio tandem si accipiatur nomen, naturalis, pro vt res sequitur naturam, poterit dici naturalis tam respectu formæ, quam materiæ, quam compositi.

31 In-

31 Inceptio in rebus successiuis habetur per vltimum non esse suf. desitio vero per primum sui non esse hoc est successiua incipiunt & desinunt Extrinsece. è contra permanentia quæ generantur, & corrumpuntur in instanti, incipiunt intrinsice per primum sui esse, ita vt immediate antea non fuerint præter hos duos non datur alius tertius incipiendi modus.

32 Ratio Causæ efficientis agentibus creatis videtur conuenire tã materialibus, quam spiritualibus; licet Deus tanquam causa prima concurrat ad omnes effectus causę secundæ, & eadem actione immediate, non solum immediatione Virtutis sed etiã suppositi per quem concursum nullo modo determinatur causa secunda ad effectus cũ possint determinari a circumstantijs locis Temporis. Substantia in se efficit suas naturales virtutes seu accidentia immediate, sicuti per quam principalem virtutem efficit aliam substantiam: circa ea vero que generantur ex putri non bene assignatur pro causa efficiente Deus, vel sola intelligẽtia, immo neq: ratio specifica, sed Cælum cõprendendo Solem sidera.

33 Alterario dicitur mutatio remanente codẽ subiecto sensibili in passionibus aut medijs aut contrarijs, est cõtinua tam quo ad intensionem quam quo ad Extensionem, ita vt non fiat nec per instantia interpolata, nec per interpolationem subiecti, ratione punctorum qualitas non intenditur per depurationem subiecti à contrario, nec per deperditionem veteris qualitatis adueniente noua distincta, sed fit intensa magis per additionem gradus ad gradum, qui gradus sunt omogenei, & vniuntur per inehærentiam diuersam si, diuerso tempore producantur.

34 Quelibet etiam actio requirit naturaliter contactum immediatum, vel immediatione virtutis vel suppositi, ita vt probabilius dicatur neque supernaturaliter accidere posse aliter, dum vero fit alteratio agens per suam actionem agit intra sferam suæ actiuitatis vniformiter difformiter, si fit simile passum agenti quod debet agere, nõ potest fieri actio; In se agens potest agere actione, perfectiua non vero corruptiua, in actione reflexa per antiperistesim qualitas connaturalis passo augetur à forma substantiali per emanationem supposita remotione contrarie qualitatis

quam

quam in se passum habebat, quando vero augetur qualitas in debita subiecto, per accidens augetur. eo quod impediatur ipsius Exitus.

35 In alijs quidem reflexis actionibus maior intensio fit per virtutem positam in principali agente; coaddiuuante corpore opaco terminante per modum causę materialis vel per modum conditionis, regulariter quando agens & passũ ambo sunt intra sferam actiuitatis ad inuicem datur reactio, ad quam satis est actiuitatem agentis superari à resistentia passi, licet amborum qualitates essent, æquales, quæ reactio quando datur eadem pars absolute non mouetur motibus contrarijs, in quibus Actionibus, & Reactionibus datur de facto maximum quod sic, & minimum quod sic.

DE ELEMENTIS EORVMQVE MIXTIONE.

36 Elementum ex Arist. describitur sic, est illud in quod cętera corpora diuiduntur in quibus inest Potentia vel actu, ipsum aũt indiuisibile est in diuersa secundũ speciẽ, vnũquodq; habet suam formam substantialem, & quatuor sunt, scilicet Ignis, Aer, Aqua, Terra, quæ elemẽta pro vt de facto dãtur habẽt impuritatẽ. Preter ignẽ nostratem videtur dari probabilius ignem elemẽtarem sub concauo lunæ. hec elementa dicuntur inter se contraria rõne qualitatũ actiuarum. licet cõtrarietas formalis dici possit prouenire à formis substantialibus sic conuenientibus, Ignis.n. habet calorem, & siccitatẽ Aer calorẽ & humiditatẽ Aqua humiditatẽ, & frigiditatẽ, Terra frigiditatẽ & siccitatẽ, & has exigũt habere in summo, licet de facto nõ habeant secũdum omnes sui partes.

37 Quatuor sunt qualitatis actiue prime, & positiue, quæ describuntur in concreto sic Calidum est illud quod congregat homogena; frigidum quod tam, homogena quam etheorogena congregat, humidum quod difficile terminatur termino proprio, facile vero alieno, sicut è contra Siccum est illud quod facilè terminatur termino proprio, difficile autem alieno. Neque est impossibile elementa dissiimbola posse trasmutari in aliud dissimbo-

simbo.

fimbolum immediate,absq; eo quod trasmutentur prius in simbolum, licet non immediate regulariter loquendo trasmutentur; facilius tamen trasmutantur elementa fimbola quam dissimbula positis ceteris paribus immo ex duobus dissimbolis potest nasci vnum vtrique dissimbolum.

38 Virtutes motiue Elementorum sunt Grauitas,& Leuitas quæ sunt distinctæ à substantia elemētorum, & in concreto definiuntur sic simpliciter leue dicimus quod sursum fertur & ad Extremum; graue quod simpliciter deorsum & ad medium; Porro leuitas aeris & ignis non differunt specie,& grauitas terræ & aque pariter non differt specie; grauitati, & leuitati, quæ nascuntur principaliter a forma, inistrumentaliter a Combinatione primarum qualitatem vna cum densitate, & raritate tribuuntur motus elementorum effectiue, proxime & instrumentaliter, principaliter vero ipsorum formis ita tamen vt in propria regione neque grauitent neque leuitent.

39 Datur Mixtio quę sic describitur. Miscibilium alteratorum vnio. resultat ex pugna elementorum ita vt potentia tantum contineantur in mixto. putrefactio vt sic pro vt mixto conuenit, est corruptio eius in vnoquoque humido proprio, & secundum naturam caliditatis ab alia caliditate corporis ambientis. Mixti Temperamentum neque consistit in relatione, neque in quinta qualitate, sed in proportionata intensione primarum qualitatum, potest dari Temperamentum non solum quo ad iustitiam, sed etiam quo ad pondus, in mixtis etherogeneis non secundum omnes partes, in homogeneis non repugnat secundum totum.

DE ANIMA.

40 ANima in comuni est forma Substantialis quæ ab Aristotele describitur. Anima est actus primus corporis naturalis organici potentia vitam habentis, hec descripito conuenit omnibus tribus animabus, scilicet, Vegetatiuæ, Sensitiuæ, Rationali. sed Analogice. Vita vero describitur in actu secundo, per actum operantis a principio intrinseco postquam constitutum est in suo esse naturali, seu per actum

actũ operantis completi ab intrinseco principio per actionẽ immanentẽ. Cõpositum vnica tantũ anima simul & eodem tẽpore est informatũ, licet in quolibet Cõpositio etherogeneo dentur plures formæ partiales Substantiales; Anima nõ in vna tantum parte corporis est: sed in toto neq; omnes sunt diuisibiles, neq; dantur partiales Animæ in animabus diuisibilibus, ita vt etherogeneæ sint, neq; potest vna Anima plura corpora totalia organica simul informare neq; successiue, neq; potest informare partes discretas, neq; omogeneum Corpus adæquate.

41 Probabilius postea dicim' dari potẽtias Vitales realiter distinctas ab ipsa Anima potentias vero inorganicas in sola Anima reperiri, organicas vero in sola materia Subiectari, quas potentias organicas dicimus dependere ab Anima per emanationẽ, diuersa tñ actione qua producitr substãtia Animæ, & Potẽtiæ specificantur imediate ab actib' & his mediãtib' ab obiectis formaliter diuersis.

42 Dantur tres principales Potentiæ Animæ Vegetatiuæ. scilicet agumentatiua, nutritiua, & generatiua, quæ habent quatuor potentias ministrantes, videlicet attractiuam, retentiuam, concotiuam, & expulsiuam, & omnes realiter inter se distinguntur, ratio vero formalis potentiæ nutritiuæ consistit in reparatione partiũ viuentis, & ista potentia est qualitas distincta a Calore Vitali temperamento, quæ duæ requiruntur vt exeant in actum; Alimentum quod debet cõuerti in substantiã aliti, debet esse partim simile partim dissimile alito, & ob id nullũ elementũ in suo statu naturali potest nutrire, alimentum proximũ in hominibus est sanguis, in alijs est ille humor, qui gerit in exanguibus vicem sanguinis; toto vitæ tempore viuens nutritur non vero rigorose, & hæc potentia subiectatur in omnibus partibus, quæ propriæ vitaliter nutriuntur; augumentatio consistit in motu acquisitiuo nouæ quantitatis, & quia non mutantur partes primigeniæ, sed solum perficiuntur dicitur idem viuens post agumentationem, insuper fit etiam agumentatio toto vitæ tempore vel rigorose, vel non rigorose secundum omnes partes materiales continue, & non per instantia interpolata.

43 Raritas & densitas non consistunt in acquisitione vel deperdi-

B 2 tione

tione nouę quantitatis, sed terminatur ad vbi mediante quo acquiritur maior vel minor locus, aliquando vero habetur per Extrusionem, vel introductionem aeris, quarum causæ efficientes sunt illę quę causant motus alterationis, & locales tam quando sunt ad Exigentiam subiecti quam quando non sunt, quando vero sunt ad Exigentiam subiecti causa est intrinseca.

44 Sensitiua altera, & est perfectior anima, quinque tantum habens potentias extrinsecas quæ potentię si spectentur pro vt sunt facultates se tenentes ex parte animę, præcise ab organis erunt actiue in ordine ad sensationes si vero considerentur pro solo organo vel etiam pro organo simul & potentia erunt passiue, ad hoc autem vt hę potentiæ exerceant suas operationes necessarie sunt species quæ concurrant effectiue instrumentaliter cum potentijs ad sensationes ita vt tam species, quam potentiæ sint causę instrumentales inadæquate, & partiales. adæquarum vero Instrumentum erit potentia informata speciebus. hæ porro species, tam diu fere durant, quandiu obiecta, licet aliquando non sit impossibile ipsas ad breuissimum tempus etiam post discessũ obiecti perdurare, sunt propterea diuersę rationis ab obiectis, & eorum simillitudines, ita vt non cognoscantur ipsæ sed effectiue obiecta representent, ac propterea sunt diuisibiles tam quo ad intensionem tum quo ad Extensionem proportionaliter ac est intensibile, vel extensibile obiectum.

45 Neq; implicant supernaturaliter supplente Deo efficienter posse species absente etiam obiecto ipsum representare. immutatio autem potentię habetur a speciebus sensibilis proprij modificati a sensibili comuni. Corumpuntur tandem species eo quod exigant solum tanto vel tanto tempore perdurare; sensibile aliud est Comune aliud proprium, & comune bene describitur, id quod pluribus sensibus patet, & bene diuiditur in illa quinque nempe motum, quietem, figuram, numerum, magnitudinem, & hoc sensibile proprium sine sensibili comuni monere potentiã nõ põt.

46 Priuationes rerum indirecte percipiuntur, non per propriam speciem, & regulariter percipiuntur a sensu comuni interno, vel ab immaginatiua, quando vero nullũ est obiectum circa quod

Versetur

Versetur sensus, Priuationes percipiuntur à sola immaginatiua; in sensatione visus non diuerso tempore sensibili mouetur a speciebus medium ac potẽtia in gustu vero tactu, auditu, & olfactu mouentur eodem tempore Medium ac potentia Sensibile supra Sensiorum impedit sensationem, & nullus sensus cognoscit propriam operationem, verùm actus sensuum Externorum cognoscuntur ab interno sensu. contigitque error circa sensibile Comune, vel circa proprium magis comuniter acceptum, & hæ Potentiæ sensus sunt, Visus, Gustus, Auditus, Tactus, & olfactus, concurrunt actiue ad actus proprios producendos, ad quos dantur & sunt necessarie, species quæ sicut & potenti. habent essentialem rationem causarum instrumentalium, hi sensus eadem perfectione reperiuntur in omnibus animalibus perfectis quos noto esse reflexiuos, & hi si debite applicati sint circa proprium sensibile errare non possunt.

47 Visio quæ est vera Qualitas, & actus potentiæ Visiue non fit per Extromissionem, & probabile est in humore Cristallino fieri, indiget lumine, quod dicitur actus perspicui pro vt perspicui, & debet se tenere ex parte obiecti ita vt ipsum quoque per se possit esse obiectum huius potentiæ, requiritur pariter Color, sed non necessario ad omne obiectum videndum lumen vt videatur non indiget alio lumine, & describitur. Qualitas nascens ex primis qualitatibus afficiens mixtum, quatenus habet perspicuitatem aliqua opacitate terminatam, auditiua habet pro obiecto sonum, qui est qualitas, recepta in corpore medio distincta ab impulsu corporum sonantum, probabile est Auditionem fieri in aere innato intra aures, odor qui est qualitas distincta a temperamento primarum qualitatum, est obiectum olfactiue, residentis in Carunculis mamillaribus. Sapor est obiectum gustatiue, est qualitas, precipuum organum sunt nerui molliores in lingua repositi. Tactiue Potentiæ organum sunt nerui, & caro præcipue mollior, ad hoc etiam vt sit sensus tactus requiritur immutatio organi à qualitate fortiori in obiecto quam in potentia.

48 Sensus seu potentie internæ septem enumerantur, scilicet Sensus Comunis, Fantasia Immaginatiua, Extimatiua, Cognosciti-

ua, memoria Reminiſcentia; & probabile eſt ad quatuor ſolum diſtinctas reuocari probabilius tamen Exiſtimamus duos ſcilicet Senſum Communem & fantaſiam; horum organum eſt Cerebrum ſenſus iſti interni cognoſcunt operationes aliorum ſenſuum Externorum non vero proprias operationes; Non habent iudicium verum de operationibus quas cognoſcunt etiam ſicut vt in homine ſunt. Vtuntur ſpeciebus diuerſis à ſpeciebus potétiarum externarum quę fiunt ex obiectis ſenſatis, datur vltra hæc appetitus ſenſitiuus diſtinctus à rationali: ad hanc Animam ſenſitiuam videtur pertinere Somnus qui ligat ſenſus Externos mediantibus vaporibus huic opponitur Vigilia quæ in ſenſuum operatione conſiſtere benè dicitur, ſomnia quæ accidere dormientibus ſolent fiunt operante ſenſu interno precipue fantaſia, ex quibus aliqua vera colligi poſſunt pertinentia ad actuale temperamentum humorum.

49 Anima rationalis omnium perfectiſsima eſt veriſsima forma informans Simplex, Spiritualis Immortalis, vna ſolum in vno corpore ex cuius materia non educitur; habet inter ſuas potentias intellectum qui eſt duplex realiter diſtinctus ab alijs potentijs, porro alter intellectus eſt agens qui habet pro munere ſpecialiter attributo producere ſpecies ſpirituales quæ ſunt neceſſariæ ad operandum. ita tamen vt indigeat fantaſmatibus determinantibus ad iſtam productionem; hic intellectus non intelligit ſed alia potentia ſpiritualis, que eſt intellectus patiens ita vt non ſit mere paſſiuus ſed etiam actiuus in ordine ad eliciendam intellectionem producendo Verbum mentis quod eſt terminus intellectionis, quando cognoſcit intellectus ſubſtantias tam abſtractas, quam non abſtractas cognoſcit non per ſpecies proprias poteſt hic ſe & ſua Cognoſcere.

50 Altera potentia ab omni alia diſtincta eſt memoria intellectiua identificata ſolum cum intellectu paſsibili, tertia potentia pariter ab omnibus abſolute diſtincta eſt voluntas ſeu appetitus rationalis mouet hæc omnes alias potentias ad operandum non per poſitionem alicuius phyſici poſitiui

præuij

preuij in potentijs reliquis habet pro obiecto bonum sicuti intellectus verum circa hoc fertur per modum amplexus, circa malum fertur per modum fugæ est potentia cœca, & sequitur ductum intellectus in hoc sensu scilicet quia non potest vel amare, vel odisse quidquam nisi precognitum ab intellectu sit.

51 Operationes intellectus tres comuniter asignātur, prima est simplex apprehensio quæ absq; affirmatione vel negatione plura concipit, secunda est iudicium quod de subiecto aliquid affirmat aut negat, tertia est deductio seu illatio, & in his postremis operationibus potest esse veritas, vel falsitas propriedicta in prima solum occasionaliter hec veritas distinguitur à veritate trascendentali, & non consistit in aliquo superaddito, sed est denominatio Extrinseca, ideo entitas propositionis, potest sine Mutatione intrinseca de vera fieri falsa vel contra. Operationes omnes he, exprimuntur vocibus quæ describuntur sic, eorum quæ sunt in Anima passionum notæ, hæ sunt signa ad placitum importantia tam res, quam conceptus res tamen magis principaliter, & non habent vllam efficientiam physicam.

52 Datur vltra hec syllogismus recte sic descriptus, Oratio in qua quibusdam positis alterum quid à positis necesse est contingere eo quod hæc sint de sua essentia importat essentialiter tam premissas, quam conclusionem, hanc tamen magis principaliter, ad hanc conclusionem eliciendam intellectus positis præmisis habitis, vt veris necesitatur non solum quo ad specificationem sed etiam quo ad Exercitiū.

53 Diuid.tur syllogismus ratione materie in Demōstratiuum Topicum & Sophisticum, & formari potest in tres solum veles figuras; demōstratiuus constat expræmisis veris primis immediatis notioribus & potioribus, & causis conclusionis sufficit tamen ad Demōstrationem quia, & propter quid, neque datur tertia species ex his duabus conflata.

54 Methaphisica quæ & Sapientia immo Theologia dicitur sed naturalis, est prestantissima scientia, & habitualis; habet pro obiecto Ens Vniuersalissime sumptum, pro vt tamen Ens reale est, nõ est Vniuocum, nam Vniuoca definiūtur quorũ nomen comune est, & secundum nomen eadem substantiæ ratio, nec pure equiuocum quod definitur quorum nomen comune est & ratio significata per nomen omnino diuersa, sed Analogum quod definitur quorum nomen Comune est, ratio vero substantiæ partim eadem partim diuersa. porro in his descriptionibus includūtur Equiuoca Analogata Vniuoca inter hæc perfecte prescindunt. Analoga vero importāt formaliter differentias entis. & diuiduntur in analoga proportionis, & attributionis quæ postrema habent respicere Vnum principalem terminum qui tribuit nomen analogũ comune omnibus licet importent habitudinem, sed minus principaliter.

55 Ens diuiditur in Creatū & in increatū in ens actu, & potētia per se subsistēs, & inherens in alio Singulare, & Vniuersale. circa ens in potentia, bene dicitur poni extra causas per Existentiam quæ in actu est idem, ac essentia ita vt realiter nihil illi superaddat, non solum realiter, sed neque formaliter, loquendo de formalitate intrinseca rei independenter ab intellectu nam vti vero Extrinsece formaliter hoc est per conceptum distinguntur, sicuti & reliqui gradus entis metaphisici solum per intellectum ita vt non detur in huiusmodi distinctione vlla precisio obiectiua.

56 Substantia seu ens per se subsistens, & primo intentum a natura, habet subsistentiā quę est modus positiuus realiter distinctus à materia forma, & vnione cuius effectus formalis est reddere naturam terminatam, & alteri incomunicabilem; vnicus erit modus totalis, quia vnica est substantia incomposito nõ tamen est principium influens in operationes.

nes, ita dicendum est de inherentia quæ est accidentis modus. accidens porro dicitur quod est in alio & non vt pars; Substantia definitur esse id quod per se subsistit, qui conceptus sunt Analogi quia summum genus in predicamento Substantię Vniuocum, erit substantia corporea seu Corpus.

57 Singulare Ens quod ita est Vnum vt non sit pluribus communicabile. Vniuersale vero est pluribus Comunicabile, & dicitur Vnum aptum esse in pluribus constituitur in tali statu ens per actum intellectus præcisiuum seu abstractiuū directum sic constitutum importat vnitatē & aptidudinem. hec aptitudo est nemine cogitante à parte rei consistens in aliquo negatiuo licet non sit vna sed multiplex pro vt multiplicia sunt indiuidua, fit autem vna per eādem operationē intellectus qua fit vna natura abstracta. Vnitas Descripta est negatio diuisionis in se & diuisio a quocumque alio, realis est alia scilicet numerica, alia per intellectum requisita ad Vniuersale, & non datur a parte rei nisi fundamentaliter sicut neque datur a parte rei nemine cogitante ipsum totum Vniuersale.

58 Ens Vniuersale distribuitur in ordine ad predicabilitatem in quinque classes scilicet in genus, differentiam, speciem, proprium & accidens. primum igitur in concreto bene fit descriptum, id quod predicatur de pluribus differentibus specie in quid Genus aliud generalissimum aliud subalternū & ad hoc sicut ad alia predicabilia requiritur ratio Vniuoca; Alterum predicabile est species sic descripta, id quod prædicatur de pluribus differentibus numero in quid: hoc pariter prædicabile in subalternum infimum seu specialissimum diuiditur iam si volumus assignare quid sit differre specie bene assignamus si dicimus illa differunt specie, que differunt secundum predicata essentialia notabiliter differentia iudicio prudentum. tertium Vniuersale Differentia dicitur, quæ est ratio vltima complens genus, & constituens cum ipso speciem; Porro differentiæ non sunt quid compositum sed simplex loquendo de vltima specialiter, &

pro-

proportionaliter de alijs ; Iam Ergo differentia describitur id quod prædicatur de pluribus differentibus specie vel numero in quale quid. Quantum est proprium ita descriptũ id quod de pluribus prædicatur differẽtibus specie vel numero, ita conuenit omni soli, & semper, loquendo de proprio quarto modo ex quo nascitur, dici conuertibiliter, appellatur accidens necessarium eo quod sit cum essentia coniuntum. Accidens demum quintam classem constituit, & dicitur esse illud quod potest prædicari de pluribus diferentibus specie, vel numero in quale contingenter ita vt absit & adsit præter subiecti corruptionem, tam realiter in ordine ad esse, quam intentionaliter in ordine ad cognosci, Diuiditur etiam Ens in decem prædicamenta quæ sunt Substantia, & nouem classes accidentium scilicet, Quantitas, Qualitas, Relatio, Vbi, Quando, Situs, Habitus, Actio, & Passio,

59 Relationes aliæ sunt reales aliæ rationis aliæ Predicamentales aliæ Trascendentales in concreto Vniuersaliter describuntur. Relatiua sunt illa quæcumque hæc ipsa quæ sunt aliorum esse dicuntur vel quomodolibet alter ad alterum. Prædicamentales quæ diuersum prædicamentum a nouem reliquis constituunt important aliquod superadditum modale nemine cogitante residens in fundamento intrinsece; Multiplicãtur ad multiplicationem terminorum, ita vt ipse relationes non fundent alias, Terminantur demum ad terminum absolutum à quo Extrinsece specificantur tanquam ab Extrinseca eorum essentia, ratio fundandi has omnes relationes triplex ad caput reducitur scilicet ad Vnitatem, & numerum, actionem & passionem; mensuram, & mensuratũ.

60 Licet Ens reale non habeat rigorose Verissimas proprietates nihilominus tria solent, & bene attributa ipsis concedi: scilicet, Vnum, Verum, Bonum & hec appellantur rationes trascẽdentales, vnum nihil positiue addit ipsi enti realiter, & dicitur id quod est indiuisum in se, & diuisum ab omni alio, Verum & Bonum nihil realiter ipsi enti super addunt licet connotent in obliquo diuersum quid ab eo quod Ve-

rum

rum & bonum trascendentaliter dicitur, scilicet Verum connotat intellectum, cum quo habet conformitatem. Bonum cõnotat hoc quod est habere omnia, ita vt nihil desit.

61 Preter Ens reale datur Ens rationis quod reductiue pertinet ad metaphsicam bene describitur esse illud, quod habet tantum esse obiectiue in intellectu, consistit in modo tendendi intellectus indebito, scilicet coniungente duo, vel plura habentia prædicata incompossibilia, interse etiam per potentiam Diuinam, nihil superaddit partibus, & modo tendendi intellectus, qui modus gerit vicem vnionis. Potest fieri ab intellectu solum non à potẽtijs Externis vel fantasiæ, neque potest fieri ab intellectu Diuino, fortasse ab Angelico potest, sed non per species à Deo immissas, sed per alias comparatas ab ipsis, si tamen conceditur ipsis talis comparatio specierum.

LAVS DEO.

Disputabuntur publicè SENIS,
In Metropolitana Ecclesia,
Anno Dom. M. DC. XXXXVII.
Mense Septemb. Die Prima
Hora XXI.

SENIS,
Apud Bonettos, Typis Publicis.
Superiorum Permissu.